

INFLAMMABILIA.

CARBO.

Ligni sani frustula urantur in vase clauso foraminulo instructo, ut partes omnes ope ignis volatiles abigantur. Cessante penitus fumo substantia nigra, porosa, friabilis et inflammabilis in pulverem trita in vase clauso usui servetur.

VIRTUS: Antiseptica; odorem putrescentem efficaciter corrigens.

Usus internus: Halitus oris putridus; ructus putridi. — **Externus** pro dentifricio. Insupergerendo: Ulcera putrida. — Item ad aquam a putredine præservandam et corrigendam; ad mel et sales varios dealbandos et purificandos; ad obtinendum acidum carbonicum.

SULPHUR PURIFICATUM.

SYN. *Sulfur; sulphur citrinum; sulphur nativum.*

SULPHUR SUBLIMATUM.

SYN. *Sulphur depuratum; sulphur subli-*

matum; flores sulphuris; flores sulphuris loti.

℞. Sulphuris vulgo venalis quantum placet.

In vase clauso balneo arenæ sublima;
dein magna quantitate aquæ fervidæ probe
ab omni acido sulfurico adhærente ablue,
sicca et usui serva.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

SYN. *Lac sulphuris; magisterium sulphuris.*

℞. Sulfureti calcis (vel sulfureti potassæ)
quantum placet.

Aquæ bullientis quantum opus,

Ut fiat solutio, cui instilla

Acidi acetici quantum satis,

Ut sulphur omne præcipitetur; dein cola
et præcipitatum probe edulcoratum et sic-
catum usui serva.

Vel:

℞. Sulfatis potassæ (vel sulfatis sodæ) probe
siccata et pulv. partes sedecim.

Carbonum pulv. partes tres.

Massa mixta in crucibulum inmissa forti

igni exponatur ut perfecte fluat; dein effusa

Solvatur in

Aquæ partibus sedecim.

Solutionem depone in cella humida per aliquot dies ut pars carbonum separetur; dein filtra liquorem flavo-rubicundum et instilla

Acidi sulfurici diluti quantum satis,

Ut sulphur omne præcipitetur.

Vel:

N. Potassæ quantum placet.

In sartagine ferrea igni expone et ferventi liquido per vices adde,

Sulphuris sublimati quantum liquor causticus solvere potest; dein cola per chartam et cum triplo aquæ mixto, instilla

Acidi sulfurici diluti quantum opus,

Ut sulphur omne præcipitetur, quod aqua probe ablutum, et siccatum usui serva.

NB. Operator caute vitet inspirationem gazis hydrogenii, quod durante processu magna quantitate ex massa avolat et quod incaute inspiratum suffocationem lethalem inducit.

PHOSPHORUS.

147

VIRTUS Sulphuris sublimati et præcipitati :

Leniter stimulans ; cathartica ; antipso-
rica ; diuretica ; expectorans.

Usus internus : Psora ; psora retropulsa ;
ulcera foetida ; morbi pulmonum atonici
pituuitosi ; hæmorrhoides dolentes ; obsti-
patio hæmorrhoidalis ; ædema post scar-
latinam ; paralysis ex vaporibus hydrargyri,
plumbi aut arsenici ; ptyalismus aliique
morbi ex hydrargyro producti. — *Externus*
forma unguenti : Psora ; morbi ex hydrar-
gyro.

NB. A quibusdam friciones cum sul-
phure in arthrodynia rheumatica et poda-
grica laudantur.

Dosis : Grana quindecim — triginta.

NB. Sulphur assumptum bilem in primis
viis decomponere, et in sulfuretum sodæ
mutare videtur.

PHOSPHORUS.

℞. Acidi phosphorici libras tres.

In crucibulo fusis adde continue mo-
vendo

Carbonum pulv. libram unam.

Massam adhuc calidam in mortario lapideo probe tere; dein retortæ terreæ loricate immitte, et junge mediante luto pingui excipulum amplum, ad medietatem aqua frigida repletum et tubulo parvo in parte superiori instructum, per quem gaz exire possit. Destilla in furno reverberii, igne sensim aucto ad retortæ candescentiam, donec guttæ transire cessent. Frigefacto apparatu liquorem in fundibulo inde et aquam separa; dein officio infundibuli inferiori clauso, aquam calidam affunde phosphoro in infundibulo contento, ipsumque infundibulum aquæ bullienti immerge movendo massam bacillo vitreo, donec in collo infundibuli in massam coëat. Tum in aquam frigidam immitte ut solidescat massa, quam inverso infundibulo exime et sub aqua frigida, in vasis terreis probe clausis usui serva.

VIRTUS : Irritans; stimulans; corrosiva.

Usus internus anceps : morbi soporosi?
asthenia? paralysis? spasmi? epilepsia?

— *Item* : Melancholia? mania? — Alii Phosphorum adhibent ad acidum phosphoricum parandum.

Dosis : Grana quatuor in oleo amygdalarum, vel pro re nata, in ætheris sulfurici uncia dimidia solvuntur. Hujus solutionis guttæ viginti cum haustu aquæ dantur bis terve de die; vel omni bihorio si morbus urgeat.

RESINARUM PURIFICATIO.

Resinæ vel substantiæ resinosæ variæ, vulgo venales, impuræ, probe siccatae, in frustula concisæ vel in pulverem contusæ alcohole repetitis vicibus superaffuso digerantur, sæpius agitando, per biduum aut triduum. Liquores commixti et filtrati misceantur cum aqua, et alcohol leni igne ex alembico balneo aquæ destilletur. Resina cum aqua remanens, repetitis vicibus aqua fervida probe lota, dein siccata usui servetur. Exemplo serviat:

RESINA JALAPPÆ.

℞. Radicum convolvulus - jalappæ pulv.
quantum placet.